MOYSIS MUCII

PERGAMENUS

EDITIO. EXEMPLORUM. L.

MOYSIS MUCII

BERGOMATIS

SCRIPTORIS VETUSTISSIMI

PERGAMENUS

EX EDITIONE ACHILLIS MUCII

ROVETAE

IN AEDE LXXI.

MDCCCXXII.

SPLENDORE JUSTITIAE, CUM MAJESTATE IMPERIALI, AC SAPIENTIA SINGULARI FULGENTI

D. IUSTINIANO

HUJUS NOMINIS II. IMP. CONSTANTINOPOLIS ETC.

MINIMUS SERVORUM SUORUM MOYSES MUTIUS PERGAMENSIS DEVOTAM SERVITUTEM, ET PROSPEROS SUCCESSUS.

Quamvis Te Imperialis potentiae gloria singularis magnificet, ac clarissima decoret sapientia; tamen nostra humilitas praesumit de proxima semper Imperiali mansuetudine, quod nostra devotio a Tua Sublimitate, ac munusculum suscipietur: etiam si longe impar sit Tuae magnitudini. nam, cum nostro labore, et industria Patriae nostrae potentissimae, et antiquissimae monimenta in hoc libello descripta legeris, de illius origine, incremento, situ, nobilitate; fontium; fluminumque miranda proprietate; Familiae nostrae, et loci origine, conditore, et fortitudine; Gentis Pergameae ingenio, et affabilitate, ac Illustrium Fabiorum erga eam pietate, et benevolentia, tanquam in lucenti speculo facile cognoscere poteris. Nec tamen omnia nos potuisse comprehendere, aut explicare fatemur: sed strictim, ac particulariter scripsimus, ut sermo sit legentibus planus, et non fastidiosus; et ea legendo animum oblectes; curas Imperiales releves, pulchro ocio vaces. Legat igitur Tua Sublimitas istum libellum, quem Pergamenum vocamus, ea alacritate nostri memor, qua est tui devotione, et mandato conscriptus. Vale.

Exordium et Invocatio.

Alme Deus Rector, qui Mundi fraena gubernas,
Nec sinis absque modo sedes fluitare supernas,
Omnia Pergameae precor annue commoda Genti,
Pestibus ut careant saevis, ventoque nocenti.
Nam gens ista, tuas leges, et jura colendo,
Non te deservit, peregrinum dogma sequendo.
Hinc equidem magnam mercedem saepe secuta
Hostibus in mediis fuit a discrimine tuta.
Namque peregrino Vicinia diruta Marte
Saepe fuit: stetit haec ulla non territa parte.
Nunc age Largitor cunctorum summe bonorum,
Annue me rerum breviter meminisse priorum.

Narratio.

Tempore, quo Galli Senones in Martis amore
Florebant, Italum petierunt regna furore.
Dux erat his Brenus gladio metuendus, et hasta,
Cujus ad aspectum nutabant oppida vasta.
Dicitur hic Urbes Italum posuisse per arva,
Et validas arces et non munimina parva.

Sed, cum Pergameos vidisset denique tractus,
Nunc sum quod petii (dixit) per tempora nactus.
Hic igitur cinxit tria mira cacumina muro,
Liber ut incursi foret, atque timore futuro.
Turribus expositis per cunctas undique partes,
Ut nihil hostiles noceant his moenibus artes.
His etiam castri munimen struxit amoenum,
Hactenus ipsius dictum de nomine Brenum.
Si quis forte Urbis mores, nomenque locorum,
Scire cupit, breviter sibi nos dicemus eorum.
Nomina quin etiam si discere quaerit aquarum,
Nominibus propriis quasdam referemus earum.
Sed memorabo tamen loca primitus exteriora
Queis animadversis exordiar interiora.

De Pergami Monte, Brembo, Serio,
et Murgula, Fluminibus.

Inchoat Aurorae pes clari Montis ab axe,
Quinque sub occiduum tendens quasi millia laxe:
Sed duo porrectus, quasi crux in cornua, plaustrum
Dexteriore petit, laevo declinat ab Austrum:
Principium tenet Urbs omni spectamine plenum,
Finis habet verbo durans in secula Brenum.
Hunc praetercurrunt duo flumina gurgite miro
Montibus ex altis orientia murmure diro.
Serius a Solis nascentis labitur ora,

Brembus ab occidua quatiens resonantia lora.
Huic quoque vicinus currit saevissimus amnis,
Murgula nomen habens, arvorum non sine damnis.
Quis numerare queat quot ab hoc manantia monte
Flumina sint puro passim nascentia Fonte?

De Vicis Fabriciano, et Pompiliano.

Hic locus est geminus divina conditus arte,
Nulla gerens hominum quavis munimina parte.
Nomen utrique dedit proprium possessor eorum,
Cui situs in primis placuit, cultusque locorum.
Hic a Fabritio memoratur Fabricianus:
Pompilius nomen dedit illi Pompilianus.
Hic calidas oras pronus despectat ad austri;
Ille perenne videt pigri juga frigida plaustri.
Si peteret quondam Romana potentia Paenos;
Aut hos, aut illos qui nollent summere Frenos;
Mille dabant isti Romae toracas ahenos,
Et validos bellis animos, vultusque serenos.
Sed fortuna bonis hominum male fida recessit,
Et loca tanta prius saeverissima sub pede pressit.
Nam modo vix equites capiunt hic arma ducenti,
Unde phalanx ibat millena sub aere nitenti.

De loco Praetorij, et Fonte Cereto.

Tertius ad Nothum est Praetoris nomine dictus,
Mille per anfractus. Et mille volumina fictus.
Unde nec insidias, nec vim timet ille furorum,
Munere naturae munitus, et arte Priorum.
Hic veterum fulgent miranda palatia Regum;
Hic etiam viguit jus, et celebratio legum.
Hic etiam gelidus fons est, ut dicitur, unus,
Cui natura potens dedit hoc mirabile munus:
Hujus siquis aqua potatur saepe serena,
Non timeat rabidos morsus; nec dira venena.
Hinc vicina manet gens, hic secura, timore
Libera; vexatur quo cetera turba labore.

De Principe Crotatio, et ejus Columna.

Hinc ubi procedes paullum Titanis ad ortum,
Respice Crotacii faelicem Principis hortum.
Quem Regina potens ambivit marmore Grata,
Urbis Pergameae regeret cum sceptra beata.
Illic omne viret genus omni tempore Florum,
Ex quibus aegrotos sanans vis exit odorum.
Et Crotacius Gratae hujus avus nam dicitur illam
Constituisse bonis proprii magnopere villam.
Unde fuisse locum veteres dixere vocatum:
Cujus et ipse locus conservat corpus humatum.

Signa rei manifesta tibi dabit alta Columna

Post obitum Domino quam Gens fabricavit alumna.

De Viço Muciano, et Gente ejus.

Plurima Principibus loca sunt, constructa vetustis,
Carmine digna novo, musisque canenda venustis,
Quae, quia lectorem numerando gravare timemus,
Singula nominibus propriis, iccireo silemus.
Est tamen ex illis unus non jure silendus,
Quem Mucius fertur Princeps statuisse verendus.
Unde locus nomen quoque suscepisse putatur,
Nam Mucium Gentis veteri de more vocatur.
Ipsius ergo situm breviter, Gentemque canamus:
Nec latuisse locum tantum sub nube sinamus.
Incipit a Phaebi collis fervore calentis,
Clima petens arcti rigidae, plaustrique gementis.
Hic prope planitiem in tumulum subvectus acutum,
Exstat ab insidiis hostilibus undique tutum.
Quem triplici muro et valido vis Mucia cinxit,
Praecipitisque jugi pendente cacumine junxit.
Castaneae, sylvae, semperque virentia prata,
Vites, poma, nuces, oleae, fons, arva beata.
Sylvaque ditat eum variarum plena ferarum,
Retibus, aut canibus capitur pars plurima quarum,
Quaeque eget ad vitae, re nulla munia digna,
Nobilitavit eum (quia sic natura benigna)

Hunc tenet antiquae Gens altae nobilitatis,
Finitimos superans armis, opibusque beatis.
Hinc prodire solent sapientum corda virorum,
Consiliis caedunt urbana negotia quorum.
Ex quibus Ambrosius, quem plenitudo bonorum,
Ornat ab aetatis puerilis tempore, morum.
Quem dum vita Comes fuerit, sensusque colemus,
Carminibus novis, et digna laude canemus,
Ducta propago datur cujus clarissima Gentis,
Principis Othonis regali stirpe potentis.
Hic quondam Gallos linquens, angustaque rura
Italiam cuperet fervente capescere cura.
Transit adversus hostes, et praelia dura,
Arvaque multa manu caepit, Castellaque plura.
Sed loca nulla tamen placuerunt visa petenti,
Ut Mucii sedes nido decorata nitenti.
Hanc igitur longa caepit vix obsidione,
Caetera consuesset quamvis sibi subdere prone.

De Longula Vico suburbana.

Praeteriturus eram te pratis Longule dives,
Carmine sed nostro spero per saecula vives,
Tu Nothi spectas oras, Solisque calores,
Et virides nutris oleas, Bacchique liquores.
Hic fuit, ut perhibent, Fabii celeberrima sedes,
Pergameas missi quondam tutoris ad aedes.

Hic Martis juvenes exercebantur ad arma,
Atque feras pugnas, ictusque repellere Parma.
Martius inde quidem campus, locus iste vocatur,
Nulla illic quamvis nisi ludicra pugna geratur.

De Valle, et Castro Breni.

Vertito Musa viam laxans retinacula freni,
Carminibusque situm paucis mihi pandito Breni.
Rupe sedet celsa nimium, similique cadenti,
Non equitum turmas, peditumve phalanga timenti.
Hesperon, et Solis currum jam pene tepentem
Oceanique senis videt aequora salsa petentem.
Fertilitate sua locus iste beatus agrorum,
Multimodis frugum speciebus abundat eorum.
Hunc quoque percurrit flumen cognomine Quisa,
Cujus aqua melior nusquam fuit altera visa.
Quae, quia laesisti, tibi sit Gualdrice, venenum,
Emeritus tumulus post oblita funera coenum.
Musa quiesce parum, fessae sitque hoc tibi meta,
Ut recreata queas ad caetera pergere laeta.

De laudibus Civitatis, et ejus priori forma.

Pergama si veteres habuissent alta Poetas,
Herculis, et Bacchi transissent nomine metas.
Sed Bellona furens omnes in bella trahebat,

Nullus erat vates, nullus bene gesta canebat.
Hinc periere viri virtute, manuque probati,
Pluraque linquerunt incognita posteritati.
Nam, velut apposito vires capit ignis ab igne,
Sic, quis, quando legit, vel facta, vel edita digne.
Non igitur veterum verbis audita silebo,
Nec nocitura mihi livoris tela timebo.
Namque venenoso laniet si dente laborem,
Fama mihi meritum post facta relinquet honorem.
Livor edax proprio paullatim absumitur igni,
Cujus cura bonis est sola nocere maligni.
Sed promissa tamen supra prius ordine solvam,
Pergameaeque situs Urbis, Gentemque revolvam.

Invocatio.

Nunc mihi pande viam, cujus regit omnia Numen,
Ingeniique tuo mihi munere crescat acumen.
Passibus emensis quasi mille rubentis ab ora
Aurorae, scopulis rigidis sedet illa decora.
Partibus Arctoas, et pigri ad sidera plaustri,
Tantundem plano ferme prospectat ad Austri.
Hinc quoque porrigitur spatio per montis acuta
Culmina, naturae, manuumque juvamine tuta.
Sunt geminae Valles diversis tractibus ortae,
Obliquis tumulis in se, multumque retortae,
Quae penitus reliquo sejungant moenia monte,

Adversa se se ferientes obvia fronte,
In medio collis modicus nisi quas cohiberet,
Atque sua se se defendens mole teneret,
Non est mons alius melior tibi, Baoche proterve:
Non alibi tantum placuit sua sylva Minervae.
Namque velut alta caput, gemmis, auroque corona
Sic Urbem circum loca cingitis omnia prona.

De quatuor Portis Civitatis.

Quatuor Urbis oris portis patet ipsa quaternis,
Interius grumis, ceu diximus, edita ternis,
His quoque per montis recto juga limite postis,
Ut procul aspiciens illos exhorreat hostis.
Inter eos plures liquit natura plateas,
Queis pueri faciunt ludos. Nymphaeque choreas.
His quoque cursores, et ad aspera bella legendos
Experiuntur equos Cives, et pluris emendos.
Hic gelidis Laticis de saxis edita vena
Fontibus, aut puteis hauritur ubique serena.
Sed celebrata magis, cunctis cultoribus Urbis,
Unae fuit semper, non ullis arida turbis.
Quae, licet antiquis non sit memorata poetis,
Non tamen est patriae solummodo cognita metis.
Nam, quae concupiunt insignia Pergama, Gentes
Hanc visum veniunt, aliis recitare volentes.
Sed quia carminibus melius commissa feruntur,

Et non mutatis verbis repetita leguntur.
Carminibus Fontis, nomenque situmque canemus
Quaeve sit illius natura potens referemus.

De Fonte Vagino, ejus gradibus marmoreis, et mirabili proprietate.

Sunt duo vicini tumuli, quos horrida Vallis
Scindebat, penitus fuit Urbs cum condita Gallis.
Non tunc plaustra boves, sicuti nunc inde trahebant,
Non equites illinc equitare profecto valebant.
Hanc igitur vallem clivis aequare volentes,
Ejus utrunque caput muris clausere colentes.
Saxaque vel tenuem supero de vertice limum,
Quo via plana foret, traxerunt Vallis in imum.
Fons erat in medio gelidus, visuque venustus,
Nec Lunae radiis, nec lampade Solis adustus.
Marmoreis igitur scalis per concava factis,
Fornicibusque super firmis summopere tractis,
Tramite diviso, fontem traxere per ima
Vallis, ad Arctoum rugoso frigore clima.
Hic inter muros sinus est in concava sectus,
Parietibus cinctus solidis, et fornice tectus.
Infima per mare sunt de marmore strata profecto,
Montibus excelsis multo molimine secto.
Quo trepidante gradu veniens Fons ille receptus
Gurgitis ingentis lacus evenit undique septus.

Funibus hauritur modicis tamen unda liquoris,
Paulisper distans supremi marginis oris.
Assiduos cantus, gelidae quoque noctis in oris,
Quosque Echo veteris gemitus dat causa doloris.
Audit, et hinnitu crebro laetatur equorum,
Quos latices potant laeva auxiliante suorum,
Namque suos fontes, puteosque relinquere Nymphas
Saepe videre queas, istasque invisere limphas.
Huc pecus omne libens, unda labente relicta,
Currit, uti Paphiae volucres, ad pabula ficta.
Non stupeas homines cupidos meliora petentes,
Cum potiora petunt pecudes ratione carentes.
Cur tamen hoc faciant possis quo mente videre,
Numinis auxilio summi tentabo docere.
Quamvis naturae nequeat secreta latentis
Funditus humanae ratio cognoscere mentis.
Credo quod unda diu lassata cadendo rigorem,
Laedendi vires ponat, nocuumque vigorem,
Cum suscepta lacu pervenerit ipse silenti,
Nec trepido cursu quatitur, nec flamine venti.
Hinc gravitate carens levius per viscera manat,
Membraque fessa levat: languentia corpora sanat.
Sed, ne forte putes haec quisquam frivola dicta,
Expertus poteris cognoscere non fore ficta.
Si vis hujus aquae phialas metire quaternas,
Alteriusque paris mensurae suscipe ternas,
Inque pari trutina pones utrumque liquorem,

Vergere quod mirum est, miraberis ipse minorem.
Quin etiam Bacchi si vim lenire furoris
Optas aequalis capies duo vasa tenoris.
Huic dabis ex alio mensuras flumine ternas,
Huic ex praescripto similes impone quaternas.
Plus tamen amittet proprii natura saporis,
Cui fuerit limphae mensura injunsta minoris.

Vaginus Fons unde dicatur. De aedifitiis, Decurionibus, divitiis, et moribus Civitatis.

Si fontis nomen cupis audire potentis
Dum tibi Musa refert vatis, memorare, canentis,
Vaginus Antiquis dictus fuit inde colonis,
Quod genibus vadit scalis per concava pronis
Fons; quam sit facie quaeras quoque nosce domorum,
Vel qua materia sint culmina celsa meorum.
Sed, ne manca voces ulla mea carmina parte,
Hoc etiam nostra dabitur tibi munus ab arte.
Optima quaeque domus multo fundata labore,
Pauperis, et ditis simili decorata nitore.
Saxea materies montis viscera secta
Circuit omne latus, decoratque micantia tecta.
Rara nec hac certe petit aera turris in Urbe:
Raraque habent ejus illic inter se praelia turbae.
Namque ligat stabili nodo concordia cives.
Pace manet pauper; pacis quoque faedere, dives.

Non alibi tantae leges sunt, et civilia jura,
Aut decus, aut pietas viget, aut concordia pura.
Tradita cura Viris Sanctis est haec duodenis,
Qui populum justis Urbis moderantur habenis.
Hi sanctas leges scrutantes nocte, dieque
Dispensant aequo cunctis moderamine quaeque.
Annuus his honor est, quia mens humana tumore
Tollitur, assiduo cum sublimatur honore.
Tela, manus, clipeos, arcus, ensesque rigentes,
Cassidas, et triplices thoracas, equosque frementes,
Hostibus opponunt adversis absque timore,
Viribus audaces solitis, animique vigore.
Nam pueri discunt simul arma, sitimque, famemque,
Ferre imbres, Solis radios, aestusque, hiemeque.
Non igitur mirum si nesciat ille timere,
Qui puer ista tulit, poterat cum jure pavere.
Si quis opes optet cognoscere Pergameorum,
Quae sint arma viris, cultusque notabit equorum;
Ornamenta quibus sint claro micantibus auro,
Intexta ex gemmis vario, et celamine Mauro.
Non tamen ulla viris in cultu est cura nitere:
Quin magis hi luxu gaudent, fastuque carere.
His igitur cunctis Vrbs haec quia condecoratur,
Cui vult blanditur, cui vult secura minatur.

Breni Oratio ad Milites, et gesta.

Hic quoque fessa parum retinacula solve Camena,
Dum vigor exhaustus redit, inde resumito frena.
Pergameae positum descripsimus hactenus Urbis,
Qui sit illius mores, et robora turmis.
Nunc mihi saepe senum verbis audita referre
Annue qui Coelum colis, et regis infima terrae.
Tu mihi pande viam; Tu dux mihi carminis esto,
Tutus enim graditur, cui fit tua dextera praesto.
Ut virtute tua Brennus post maenia facta,
Arvaque cuncta sibi vidit vicina subacta;
Nunc, ait, o, socii tempus majora movere
Nunc mihi credo viam tutam, caelumque patere.
Sunt validae nobis vires, animique vigentes;
Et superi nostris armis, caeptisque faventes.
Ergo viri fortes, et jam mihi saepe probati.
Quam cito (tempus adest) armis nunc este parati.
Dux ego vester ero; vos consilioque juvabo:
Vobiscunque mori, si sors ferat atra, parabo.
Quantum ante haud nobis opus est aliunde timere,
Nam vis nulla potest nobis, casusve nocere.
Martis adulterio, coituque creata pudendo,
Vincere sola putat Gens omnia Regna premendo
Romam prae cunctis, si sors dabit hanc dominari,
Precipue nostrae genti, solet ista minari.
Hanc igitur statui prius obsidione petendam,

Assiduaeque famis gravitate, sitisque praemendam
Hanc mihi victori nascetur gloria prima,
Praedaque virtuti vestrae servatur opima.
His igitur dictis acies educit aperto,
Limine portarum, perjuras omine certo.
Namque fuga celeri latiis remeavit ab oris,
Omnibus amissis, rabitque cadente furoris.
At postquam victo Priscus furor excidit illi,
Praedaque cuncta fuit virtute recepta Camilli,
Italiae fines vacuavit Gallica pestis,
Romaque continuis agitavit gaudia festis:
Ne tamen his iterum fera bella indiceret oris,
Aut talis pestis premat Italia regna prioris.
Praesidium cunctis imponit cura Senatus
Urbibus, ante quibus Brenus fuerat dominatus.
Bergameas igitur Fabius legatur ad aedes
Tutor, ubi Breni fuerat gratissima sedes.
Hic ex illorum fuit unus stirpe decenti.
Qui nece pro patria chara cecidere trecenti.

De Fabiorum Nobilitate.

Si quae nobilitas fuerit quaeras Fabiorum
Pluribus in vatum poteris reperire priorum.
Non igitur credas tibi me scripsisse notata
Aut quae a multis tu noveris esse relata.
Hunc autem potius, cujus mihi mentio facta,

Carmina nostra canent, et digna favoribus acta.
Namque vir iste nitens omnis spectamine vitae
Nomen, et ingenium gentis superavit avitae.
Artibus ingenuis nullus magis aptus Athenas,
Incoluitque domos melior Romanus amoenas.
Nemo magis viguit civilis juris honore,
Nulla magis nituit dicendi lingua lepore.
Fortior arma tulit Trojanas nullus ad oras:
Nec Danaos contra gladios, taedasve vaporas.
Pauperis ingenii non est haec dicere cura
Multiplici, quorum virtute est condere jura.
Si tamen hunc optes nostram tibi pandere Musam,
Ne fore mendacem, fictisque putaveris usam.
Non minor, Enea pietate; rigore, Catone:
Non patriae cura, vel amore, minor Cicerone.
Munificus tantum fuit, ut dare quaeque deceret:
Morte magis saeva quaesita negare timeret.
Non hunc ausa fuit tentare nociva libido:
Non hunc ausa unquam fuit insaciata cupido.
Namque locus nullus potuit fore in hunc viciorum
In quo tanta fuit concordia juncta bonorum.
Pergameae gentis regimen sortitus et orae:
Hostis ab insidiis stetit hinc secura timore.
Hic, ubi prima sui caepit moderamina regni,
Desidiae vires tulit, adjumentaque segni.

Dedicatio Operis.

Haec tibi, Grajorum populorum Summa potestas
Justiniane, dicat Moyses, cui munera praestas.
Mucius, actorum fidelis scriba tuorum,
In quibus est Urbis facies, nomenque locorum,
Pergama, si nequeas oculorum luce videre,
Ut saltem valeas interna mente tenere.
His describendis utor brevitate Laconum:
Sit licet exiguum, non aspernabere donum.
Post septingentos annos, septemque peractos
Virginis a partu, et populos tibi Marte subactos.

M317175